

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0266

0264

0270

0260

0275

0255

0315

0215

0365

0165

0765

Ende

Anfang

254

sanctae properarent juxta mandatum Domini Dei Petro
revelatum.

Progressus (**270 A**) ergo Petrus ad reges et principes,
et terrarum capitaneos et praefectos et tamquam angelus
Domini ab omnibus susceptus fuit et benignissime auditus, et
continuo cuncti parabant se ad obediendum praecepto Domini
et Papac. Magnum profecto hoc erat mandatum, audire ho-
minem pauperem, ignobilem, ignotum, illiteratum, nullo viso
aut ostendo miraculo, nec auditio sermone rhetorico, sed fidem
adhibere simplicibus verbis, quibus Papa et omnes doctissimi
cardinales et universus clerus et religiosi obtemperabant et
imperator mundi dominus cum omnibus regibus, praefectis et
comitibus fidem dabant sine probationibus et sine testibus
simpliciter prolati. Certe melioris conditionis erat populus
iste, quam populus Israel, qui ad credendum Moysi etiam visis
inauditis et stupendis miraculis vix induci potuit. Cumque
illi rumores per Europam volarent, concurrerunt omnes spiritu
vehementissimo propulsi, ab Hispania, a Provincia, ab Aqui-
tania, a Britannia, a Scotia, ab Anglia, de Normannia,
a Francia, a Lotharingia et Burgundia et Germania, ab
Alemannia sive Theutonia septemtrionali ac occidentali, mari-
tima et mediterranea, potentissimis regnis, ab Lombardia, ab
Italia, ab Apulia, a Dalmatia, ab Hungaria et Illyrico, ab uni-
versis insulis Oceani et Mediterranei et Ponti Euxini marium,
et a Graecia Europica, quae ad latus nostrum sita est Helle-
sponti, continens Thraciam, Macedoniam, Epirum, Achajam et
Peloponnesum, quae tum temporis tota erat christiana, nunc
vero est turcica usque ad Illyricum, Ungariam, Pannoniam et
Dalmatiam. De his omnibus regionibus congregabantur et
passim concurrebant quasi leones ad praedam, nec erat uspiam
in tot provinciis, quot habet occidens, domus otiosa, vel una,
dum hinc pater familias, hinc filius, illinc tota domus ad mi-
grandum se praepararet, cum singultibus et suspiriis divide-
bantur ab invicem complectentes et supremum sibi dicentes
Ave, Ave, Vale. Excessit tamen medicina modum (morbum),
quia plus quam debuit in quibusdam voluntas eundi Jeroso-
lymam subrepsit: nam et multi eremita et reclusi monachi et
virgines conclusae et maritati toro adstricti et moniales

